



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 70. Ulyssis Josephi Gozzadini Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Catholicam reduxit, eosque ad mortis Sæc. XVIII.
 agonem feliciter disposuit. Nec minor A. C. 1728.
 fuit ejus sollicitudo pro restauranda
 Domo Dei; quippe ad reparandam,
 ornandamque Ecclesiam suam Cathed-
 ralem plusquam bis centies mille au-
 reos impendit. Postremum denique ani-
 mi solatium hausit ex præsentia Bene-
 dicti XIII. qui Capuæ lecto decumben-
 tem invisit, & per plures horas sacro
 colloquio benignissime recreavit. Tan-
 dem vero septuagenarius die septima
 Februarii pie in Domino obiit, relicta
 Præsulis Zelosissimi, integerrimi & di-
 gnissimi fama.

§. LXX.

*Ulyssis Josephi Gozzadini Cardi-
 nalis extrema.*

Sequentis Mensis Martii die vigesima
 sexta eandem æternitatis viam in-
 gressus est Ulysses Josephus Gozzadi-
 nus patria Bononensis. Parentes ha-
 buit Marcum Antonium & Juniperam
 Leoni, utrumque generis nobilitate,
 & virtutum præstantia clarissimum. Ho-
 rum cura pie educatus, Bononiæ, tum
 locupletissimo scientiarum emporio, in
 Facultatibus Philosophicis, Theologi-
 cis & Juridicis tam admirandos fecerat
 progressus, ut pluribus Italix Acade-
 Hist. Eccles. Tom. LXXII. Bbb miis

Sæc. XVIII. miis adscriptus, nondum vigesimo æ-
 A. C. 1728. tatis anno expleto, Doctoratus laurea
 inclaresceret. Sanctioris vitæ impulsu
 Sacræ militiæ nomen dedit, & in Bo-
 noniensi Ecclesia Cathedrali Canonica-
 tum obtinuit, quo dimisso Romam se
 contulit, ubi, cum ejus pietas, pru-
 dentia atque eruditio continuo in ore
 esset totius Urbis, ab Innocentio XI.
 inter Romanæ Curie Præfules coopta-
 tus, paulopost ab Innocentio XIII.
 libellorum supplicum Secretarius no-
 minabatur, defuncto autem Pontifice
 a Clemente XI. Brevium Apostolico-
 rum Secretarius erat renunciatus, ad-
 dito titulo Archiepiscopi Theodosiensis,
 ut ad majora ascensuro ocyus via ape-
 riretur; cum enim arduum non minus
 ac infigne Secretarii munus non sine
 maxima singularis dexteritatis laude
 obiret, in meritorum præmium Sacro
 Cardinalium Collegio, & præcipuis
 Patrum Cætibus adscribebatur. Suam
 quoque operam utiliter navabat in
 transactione cum Cæsareo Oratore Mar-
 chione de Prie habita circa Comac-
 lensis Urbis restitutionem. Postea ad
 Imolensem Insulam evectus totius
 Æmilie Legationi præfuit, & utrin-
 que populorum utilitati egregie con-
 sultit, optimus Princeps, & Pastor
 vigilantissimus: inde vero mox revo-
 catus,

catus, ab eodem summo Pontifice ad Elisabetham Parmensem Regis Philippi V. Sponsam ex Italia in Hispanias discessuram Legatus a Latere deputabatur, *ut novæ Reginae* (verba erant Pontificis in publico Consistorio) *in ditione sacratæ Sedi etiam quoad temporalia subjecta, in qua nata & educata fuisset, adhuc commoranti, Apostolicam benedictionem deferret, Regale connubium gratularetur, necnon faustum ac prosperum in Hispaniam iter, aliaque omnia cælesti accedente benedictione apprecaretur &c.* Hanc sibi impositam Provinciam ea pompa ac dignitate, quæ tantum Papæ Administrum, ac Principem decebat, obiit, & postquam Pontificium diploma dispensationis in quarto consanguinitatis gradu inter Neo-Sponsos palam fuerat prælectum, sacris nuptiis benedixit. Inde reducem factum non modo Pontifex ob hanc Legationem graviter expletam publico condecoravit præconio, sed & ipsemet Hispaniæ Rex datis ad Papam literis professus est, quod *Sedi Apostolicæ vel eo etiam nomine maximopere obstrictus esset, quod Virum ad se ablegasset, qui suis & totius Nationis desideriis, utpote sapientia maximus, unice satisfacisset:* Peracta hac functione ad suam Ecclesiam reversus, suas oves optimus Pastor nunquam non præ-

Sæc. XVIII.
A. C. 1728.

Sæc. XVIII. A. C. 1728. sens verbo & exemplo pavit: mortuo autem Clemente in sacris comitiis electionem Innocentii XIII, suo promovit suffragio, quo brevi fatis functo nil propius videbatur, quam ut ipse ad supremi Pontificatus fastigium eveheretur; viginti enim septem Cardinales, quos *Zelantes* vocant, mutuo pacto sese obstringebant, se præter Gozzadinum vel Barbarigum, neminem alium electuros: Verum obstabant Cardinales Albaniis addicti, necnon Franciæ Orator, qui Regis sui jussu contra Gozzadinum reclamabat, non alia ex causa, nisi quia sub Innocentio XI. Gallis exoso Secretarii munus obiisset. Hæc autem repulsa Gozzadinum adeo non afflixerat, ut tam grave onus a suis humeris sublatum sibimetipsi palam gratularetur. Quarto autem post Benedicti XIII. electionem anno hic Cardinalis ætate & laboribus confectus Imolæ decessit annos natus septuaginta octo, honorifice tumulatus in sua Cathedrali. Habuit, posterisque reliquit in Romana Academia elegantissimam orationem, in qua artes cum Religione & Morum doctrina arctissimo nexu conjungi posse, demonstrabat.